

Orientalis Ecclesie circa Jejunia presentem disciplinam spectant, de qua satis haecenus diximus.

His breviter ac delucide, quantum satis esse potest ad Orientalium circa Jejunium disciplinam dignoscendam, indicatis, restat ut pauca de Jejunii dogmate edisseramus. Ac principio quidem admiraverimus, Calvinianis, Lutheranos, aliosque recentes Novatores Jejunia omnia e medio sustulisse, ut perspicue apparet ex iis, quae libro Institutionum quarto capite 12. scribit Calvinus, ubi quadragesimale Jejunium superstitiosum appellat observationem. At tametsi fateri non dubitent, Jejunium praecipuum in veteri lege fuisse, cum id expressum legatur apud Joelem, Jonam, atque alibi in veteri Testamento libris; negant tamen audacter eidem Jejunio obnoxios esse christianos, propterea quod a legis vinculo soluti sint, ecclesiamque Jejunia sub praecipio indicare posse. Sed illorum error facile convelli potest. An non enim apud Matthaeum 6. dicitur: Tu autem cum jejunas, unge caput tuum &c. Nec officit, quod Jejunii praecipuum ad legem veterem pertineret; satis etenim constat, ceremonialia tantum praecipua, non autem moralia, cujusmodi procul dubio est praecipuum Jejunii, illicescente Evangelio abrogata fuisse. Id quod mirifice ex Augustini doctrina in epistola ad Caspianum, quae est 36. confirmari potest: Sic enim eo loci habet S. Pater: Ego in evangelicis & apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video praecipuum esse Jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, praecipio Domini, vel Apostolorum non invenio definitum: Audiatur Augustinum Novatores ajentem, in sacris novi foederis literis Jejunium esse praecipuum, determinationem vero illorum dierum, in quibus Jejunium colendum sit, Ecclesiae potestati, ac libertati esse relicta. Quod vero possit Ecclesia suis legibus Jejunia praecipere fidelibus, & stabilire certa Jejunii tempora, vel ex ipso synagoga exemplo demonstratur, quae Judaeis imponebat, ut apud Jeremiam, Estherem, ac Zachariam legere est. Quod si ea Provincia pollebat Judaeorum synagoga, quid est quod eandem Ecclesiam Christi deneget, quae putent Novatores? An dicitur sint minori gaudere Ecclesiam potestate, quam synagoga habuerit? At ridiculum id est. Deinde Ecclesiae Praeati non minus ac Principes seculares potestate gaudent leges condendi ad fidelium spirituale bonum promovendum. Nemo autem dubitare potest, Jejunium valde opportunum, atque optimum esse ad spirituale finem consequendum remedium, ex quo Angelicus Doctor 2. 2. q. 147. deducit, Jejunium sub praecipio quoque naturali cadere. Potest igitur Ecclesia praedictum remedium fidelibus praecipere, sicut seculares Principes exercitium illorum actuum, qui alioquin liberi essent, praecipunt subditis qui vergunt in eorundem subditorum bonum. Extra dubium est ergo, & in sacris literis novi foederis praecipuum esse Jejunium, illudque fidelibus praecipere posse Ecclesiam. Quae contra hujusmodi doctrinam objicere solent Haereticis, adeo levia, inepta, ac fatilla sunt, ut vix digna sint lucubratione anicularum; in iis propterea exsufflandis tempus terere nolumus.

(Videantur leges 4. 5. & 6. tit. 23. p. 1. ubi quotuplicia sint Jejunia, exponitur; quibus temporibus, Quadragesima, scilicet, Quatuor temporum, (leg. 13. tit. 6. ejusd. p.) ceterorum ab ecclesia praeciporum, & eorum, quae consuetudo introduxit. Demonstratur etiam cur in festivitibus Apostolorum S. Philippi, & Jacobi vigiliae non dantur. Hic praevire consentaneum videbatur Breve S. D. Pii VI. anno 1779. expediri jussum, per quod aliud insertum lit. A p. 35. ad Aragonia, & Vasconiae regnorum habitatores extenditur. Postquam ad litteram hic typis mandaretur Breve ejusd. Summi Pontificis 21. Januar. ann. 1783. de facultatum (vid. verb. Capella, Capellanus militum) Vicarii Generalis Exercituum per alios septem annos prorogatione, conveniens judicabatur subnectere declarationem, ab Em. Patriarcha Indiarum, tamquam Vicario Generali ditorum Exercituum per edictum 3. Feb. an. 1779. factam, quae quidem declarationes ad castrensem jurisdictionem, ad jejuniorum dispensationem, carnum & piscium commixtionem, alias-

que facultates spectant: Haec commixtio per edictum Cardinalis Patriarchae tunc temporis 17. Feb. an. 1776. existentis fuit quidem militibus permissa; sed pro nunc ex die 2. Feb. ann. 1784. prohibita demonstratur, nam fuit declaratum per edictum ejusdem diei, omnes militibus adscriptos de cetero non posse, illis praesertim diebus quibus vescendi carnis conceditur facultas, epulas permixcere, & carnes ac pisces simul ullo in tempore comedere: immo cum per edictum 3. Feb. an. 1779. jam citat. vescendi carnis privilegium militum familiares, & comitatus, uxores, liberos, & consanguineos insimul habitantes comprehenderet, absque dubio declaratione, utrum in eorundem militarium absentia observantiam retineret, dum extra populum, ubi simultanea habitatio reperitur, absens fuerit militibus adscriptus, non esse dicto privilegio utendum, est praecipuum. Multum amplificationis hac doctrina consequeretur, si de verbo ad verbum, praeter omnes dispositiones superscriptas, Brevia, quibus fuit permissum, quadragesimali statione quod omnes vassalli regni hispaniae, insulique Fortunatis, si Ordinarii localibus videretur opportunum, habitantes possent in alimoniam carnis ubi, tota Cinerum hebdomada, feria quarta, Veneris, Sabbati diebus, totiusque majoris hebdomadae a Dominica Palmarum exceptis: quatuor brevia, ni fallor, in hunc finem sunt expedita, unum ad annum 1762: cetera vero ex anno 1778. usque in praesens; utpote per alios sex annos fuit ultimum prorogatum: quorum quidem prorogatio per breve 15. Aprilis ann. 1785. concessa currenae ann. seq. 1786. incipit.)

IESU SOCIETAS.

Societas Jesu merito laudatur: Bened. XIV. t. 2. 1. constituit. 49. incip. Constantem: Societati Jesu unus loci inter Conciliorum Congregationis Sacrorum Rituum perpetuo assignatur; Idem ib. Societatis Jesu collegium in civitate S. Dominici in Insula Hispaniola in publicam studiorum Universitatem erigitur; Idem constit. 27. incipient. In Supereminenti: Eiusque collegii Rectori tribuitur facultas conferendi gradus, cumulativa tamen cum Priore PP. Praedicatorum; Idem ib.

In Societate Jesu Congregaciones Generales ex brevis Innocentii X. singulis novenni haberi jubentur, & officia ultra triennium exerceri prohibentur; Idem constit. 24. incip. Devotam majori: Societas Jesu variis temporibus instetit pro abrogatione hujusmodi brevis; Idem ib. Illud tamen quoad triennale officiorum durationem abrogatum fuit ab Alexandro VIII. Idem ibid. Benedictus XIV. Innocentii legem quoad novennale Congregationem abrogat; Idem ib. Et quoad praefinitionem termini triennis officiorum abrogationem iam factam confirmat; Idem ib.

In Societate Jesu vacatio beneficiorum non inducitur per emissionem votorum simplicium; Idem constit. 25. incip. Ex quo dilectus Filius: Sed in ipsius Congregatione Generali V. decretum fuit, illius Alumnos expleto probationis biennio, Beneficia Ecclesiastica dimittere debere; Idem ib.

Ex Societate Jesu Theologus Consultor Penitentiarum Apostolicarum assumi consuevit; Idem tom. 1. constit. 56. incip. In Apostolicarum S. 25. (Vid. lit. A. ex pag. 99. ad 108.

JOB PROPHEA.

JOB dicitur natus matre Borra, patre Zara, vel Zareph, Isaaci pronepote, nam Abraham genuit Isaac; hic Esau; hic Ravel; hic Zara; hic Job; Gen. 36. Fuit ergo Job quintus ab Abrahamo. Sic traditur in appendice libri Job; quom septuaginta interpretes, & SS. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Polychronius, & alii Patres in Catena, & a Bellarmino citati passim, ut legitimum admittunt. Hic habitavit in terra Hus, seu in Assiide in orientali Idumaea, in Borra finibus. Et ut Rex imperavit in Edom post Balac, seu Bela, ut in Genesi nominatur, & regem fuisse, ipsemet Job satis innuit c. 19. v. 9. & alibi. Immo Regem regum fuit-

fuisse probat Pineda in c. 1. Job. v. 3. ubi dicitur: Erat vir ille magnus inter omnes orientales. Fuit idem etiam Sacerdos, ut patet ex sacrificio, quod obtulit, vers. 5. Fuit & Propheta, inquit SS. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, ut colligitur ex cap. 14. v. 1. Et insuper Martyr, immo multis martyribus majorem vocat S. Chrysostomus, cum aliis, quos passim citant Pineda & Salianus.

Jobum fuisse sub id tempus, quo mortuus est Isaac ejus avabus, & quidem ipso anno, quo Jacob cum suis in Aegyptum descendit, sicque visisse sub tempus habitationis Hebraeorum in Aegypto, & pertigisse ad tempora Moysis, colligitur ex communiori & verosimiliori sententia, quam tenent Philo, Aristaeus, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, & ex recentioribus, Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, & alii; vixit enim ducentis, & pluribus annis; Job cap. ult. vers. ult. Haec ex eruditiss. Trieno Comenian. in Gen. cap. 36. & in Job cap. 36. & in Job cap. 1. ubi insuper addit, trigesimo post anno Jobum uxorem duxisse Boananzabababissam, ac sub idem tempus regnum administrasse. Calmetus autem in dictionario verb. Job, 6. Rerum a Job gestarum: refert, Scriptores alios tradere, Job uxorem vocatam fuisse Ramisam & genere Loab, idest Moabitidem, vel Ammonitidem.***

JUBILEUM.

ARTICULUS I.

Jubileum quoad ea, quae concernunt ejus etymologiam, naturam, & divisionem.

SUMMARIUM.

- 1 JUBILEI etymologia, & significatum indicatur.
- 2 Jubileum unde sit dictum.
- 3 Annus Jubileus, seu Jubili appellatur communiter, Annus Sanctus, & quare.
- 4 Annus Jubili quis sit.
- 5 Jubileum est triplex, scilicet Romanum, Compostellanum, & Extraordinarium.
- 6 Jubileum ut sic dicitur triplex completens quid sit.
- 7 Jubileum Romanum seu Anni Sancti quando incipit. A quo primo institutum, intra quod temporis recurrat &c. remissive.
- 8 Durante Anno Sancto suspenduntur omnes Indulgentiae plenariae concessae pro vivis.
- 9 Non suspenduntur Indulgentiae avarum privilegiatorum pro defunctis, neque aliae Indulgentiae plenariae concessae pro mortuis, & pro moribundis.
- 10 Neque suspenduntur Indulgentiae concessae Domui Augustissime Leucitanae.
- 11 Neque suspenduntur Indulgentiae Compostellanae.
- 12 Neque suspenduntur Indulgentiae Portuiculae Atrii.
- 13 Nec probabiliter suspenduntur Indulgentiae Bullae Cruciate.
- 14 Nec probabiliter suspenduntur Indulgentiae non plenariae concessae a Summis Pontificibus.
- 15 Certum est autem, quod Anno Sancto non suspenduntur Indulgentiae non plenariae concessae ab aliis, quam Summis Pontificibus.
- 16 Nec suspenduntur Indulgentiae stationum, & aliae concessae Basilicis, & Ecclesiis Romanis.
- 17 Anno Sancto non suspenduntur facultates absolvendi a reservatis Papae, concessae ad alium finem, quam lucranda Indulgentia.
- 18 Hinc non suspenduntur privilegia Regularium in ordine ad absolvendum patientes a reservatis Sedi Apostolicae, & communi voto.
- 19 Nec suspenditur facultas, quam habent Episcopi, & alii Praeati eligendi sub Confessione.
- 20 Nec etiam suspenduntur facultates, quam habent Episcopi ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. absolvendi ab oculis Papae reservatis &c.

- 21 Sicuti neque suspenditur facultas, quam habent Praeati Regularis in ordine ad absolvendos suos subditos.
- 22 Suspendio Indulgentiarum, & facultatum in Anno Sancto, quando incipiat, & desinat.
- 23 Ad lucrandum Jubileum Anni Sancti quid requiratur.
- 24 Jubileum Anni Sancti potest toties obtineri, quoties repetuntur opera praescrita.
- 25 Post absolutum Anno Sancto solent Papa concedere Jubileum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, et Nuntiis Apostolicis, vel Episcopis requirant.
- 26 Et tale Jubileum possunt in partibus iterum lucrari, qui Rome lucrati sunt.
- 27 Quid contineat, & exigit tale Jubileum extraordinarium solitum concedi post Anno Sanctum, & aliis temporibus ex gravibus causis.
- 28 Balle Jubilei quoad favores sunt interpretanda latissime, & quoad gravamina strictissime.
- 29 Afferitur tenor notificationis pro Jubileo Anni Sancti 1675. concessa a Clemente X.
- 30 Afferitur tenor alterius notificationis jussu Innocentio XII. editae 6. Martii 1700. occasione Anni Sancti tunc temporis decurrentis.

Hoc nomen Jubileus, Jubileum, Jubileum, ab aliis, atque aliis, teste Gobat in Quinario cap. 1. de Jubilei natura numer. 1. sic diversimode scriptum significabat apud Hebraeos annum remissionis quolibet quinquagesimo recurrentem, quo scilicet cullibet suae possessiones, domus, agri, & alia hujusmodi, quae per hypothecam, venditionem &c. a se alienaverat, item mancipia sua libertati sine aliquo pretio restituebantur, quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judaei iis, quae partim ex praeteritis annis collegerant, & partim illo anno terra ipsa sine ulla cultura sponte producebat, quod totum clare patet Levitico 25. ubi inter alia sub nom. 10. & 11. impositum fuit Hebraeis hoc speciale praecipuum: Sanctificabis Annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus Terrae, ipse est enim Jubileus, revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque reddibit ad familiam pristinam, quia Jubileus est, & quinquagesimus annus. Hoc nomen putant Liranus, & Turcemeneta apud Navarrum tom. 3. comment. de Jubileo, & Indulgentiis notabil. 1. n. derivari a voce Hebraea Jobel, quae Buccinam sonat; Buccina enim sonitu Jubileus indicabatur; Alii tamen dicunt, quod Jobel significat Quinquagesimum. Unde potius dici debet Jobeleus, quam Jubileus. Alii vero cum Bellarmino de Indulgent. lib. 1. c. 1. Sanctarellio tract. de Jubileo c. 1. dub. 1. dicunt derivari a verbo Hebraeo Jubal, quod significat producere, seu germinare, quia illo anno quinquagesimo, ut dictum est, terra sine cultura de se fructus producebat.

Hinc, ex quo Dominus Noster Jesus Christus non venit solvere legem, sed spiritualiter adimplere ad similitudinem antiqui ritus, utpote futurorum praefigurati, in ecclesia catholica aliorum quodam ratione institutus fuit Annus Jubileus, seu Jubili, communiter appellatus Annus Sanctus, eo quod ipso Anno plenissima peccatorum remissio, seu Indulgentia sit concessa, & ad eam lucranda sanctissima pietatis opera a fidelibus certatim peraguntur, ut notat Gobat l. c. n. 2. Sanctar. l. c. dub. 2. & alii passim. Unde annus Jubilei solent Theologis sic describi: Annus, quo vivificantibus certas ecclesias, & certa pia opera facientibus Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa abolitionem peccatis, & censuris reservatis, & circa commutationem votorum. Et circa hunc Annum Jubilei, quamvis aliqui, ut notat Viva de Jubileo q. 1. art. 1. num. 3. dixerint, quod Annus Sanctus vocari debeat Jubileus, Remissio vero, & Indulgentia Jubileum, Sanchez tamen docet indifferenter utrumque vocari & Jubileum, & Jubileum.

Jubileum est triplex, scilicet Romanum, quod Romae Anno Sancto celebratur; Compostellanum, quod ex concessione Alexandri III. ut refert Gobat l. c. num. 2. habetur Compostellae toto illo anno, quo S. Jacobi Apos-

toll festum incidit in diem Dominicum: & Extrordina-
rium, quod extra Annum Sanctum ob gravem aliquam
causam indici solet. Et Jubilæum ut sic hæc tria Jubi-
læa complectens, recte describitur dicendo, quod sit In-
dultum Pontificis, Indulgentiam plenariam, & magna
privilegia tribuens, certa operâ in brevi præscripta præ-
stantibus. Est in re communis.

- 7 Jubilæum Romanum, seu Jubilæum Anni Sancti
quando incepit? A quo primo institorum: Intra quod
temporis recurrat? quibus ritibus indicetur, inchoetur,
& terminetur? qua die, & hora incipiat, & desinat?
quæ basilicæ & quoties visitandæ pro ipso Jubilæo lu-
crandæ? Vide *verb.* Annus Sanctus per totum.
- 8 Durante Anno Sancto suspenduntur omnes Indul-
gentiæ plenariæ concessæ pro vivis. Communis, & hoc
clare constat ex fine suspensionis, qui est, ne usu In-
dulgentiarum impediatur accessus ad Urbem, ut ex-
primitur in *Extravag.* Quemadmodum, de penitent. &
remiss. Non suspenduntur tamen Indulgentiæ altarum
privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ Indulgentiæ
plenariæ concessæ pro mortuis, & pro moribundis, seu
constitutis in articulo mortis; sic tenent Gavantus, Le-
zana, La Croix l. 6. part. 2. n. 1401. Reiffenstuel *theo-
log. moral. tract. 12. dist. 3. n. 90. & 100.* Felix Potestas
tom. 1. num. 3834. Viva de Jubilæo q. 4. art. 4. & alii
passim referentes sic declarasse Urbanum VIII. Inno-
cent. X. & Clement. X. qui ultimis cum in sua noti-
ficatione sub num. 28. addenda dicat *Declaramus;* va-
let hoc etiam pro futuro tempore, ut recte notat La
Croix *loc. citat.*
- 10 Neque suspenduntur Indulgentiæ concessæ Domini
Augustinissimi Laurentæ, ut declaravit Gregorius XIII.
teste Benzoni, libi 4. cap. 7. & Viva *loc. cit. q. 4. art. 1.*
num. 3. Nec suspenduntur Indulgentiæ Compostellanæ
ex declaratione Sixti V. ut referunt, & tenent Viva l. c.
num. 3. Castropal. tract. 24. punct. 12. num. 8. La Croix
loc. cit. num. 1401. & alii. Nec suspenditur Indulgentia
Portuincolæ Assisii, ut declararunt varii Summi Pontifi-
ces, & signanter Innocent. X. 5. Julii 1650. Clemens X.
12. Nov. 1664. & Innocentius XII. 21. Aug. 1699. in
suo Brevis per extensum adducto sub *verb.* Indulgentia
art. 5. num. 55. In aliis vero ecclesiis Franciscani Or-
dinis suspenditur talis Indulgentia Anno Sancto pro vi-
vis, minime pro defunctis. Felix Potestas *tom. 1. p. 4.*
num. 3796. & alii. Cum enim talis Indulgentia sit ex-
tensa ad omnes ecclesias Ordinis ubique existentes a
Gregorio XV. const. *incip.* Splendor paternæ: ad litem-
ram adducta sub *verb.* Indulgentia art. 5. num. 52. &
posse applicari etiam pro defunctis fuerit concessum ab
Innocentio XI. const. *incip.* Aliás: per extensum adduc-
ta sub dict. *verb.* Indulgentia art. 5. num. 52. & supra
sub num. 9. fuerit ostensum non suspendi Anno Sancto
Indulgentias concessas pro defunctis, stat clarum, dic-
tam Indulgentiam suspendi tali Anno in aliis ecclesiis
Ordinis solum pro vivis, & minime pro defunctis.
- 13 Anno Sancto non suspenduntur probabiliter Indul-
gentiæ Bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contrac-
tus. Ita Salas, Bonacina, Henriquez, ubi ex Rodrig.
apud Dian. p. 1. tract. 3. resol. 97. refert sic declarasse
Clementem VIII. Nec suspenduntur probabilis Indul-
gentiæ non plenariæ concessæ à Summis Pontificibus;
Ita Filiucius, Gobat, Lezana, Castropalaus, Dica-
stili. Quintanadven. Faustus, Peyrinus, Benzoni, cum
La Croix *loc. cit. num. 1401.* Viva *loc. cit. q. 4. art. 1.*
n. 2. & alii plures. Et ratio est, quia plurimi Pontifices
in suis Bullis Jubilæi Anni Sancti, ut Clemens VI.
Julius III. Gregorius XIII. & alii, & præsertim Six-
tus IV. in *Extravagant.* Quemadmodum, de penitent.
& remiss. solum suspenduntur Indulgentias plenarias.
Unde si voluissent suspendere etiam non plenarias, eas
expressissent, *arg. c.* Inter cetera corporalia, de trans-
lat. Nec obstat, quo posteriores Pontifices non exprimi-
mant plenarias, sed exprimat omnes & singulas In-
dulgentias, quia quicquid in posteriori lege non fuerit
expressum, id veterum legum, constitutionumque re-
gulis relictum esse intelligendum est, l. Præcipimus;
Cod. de Appel. Tum quia, quando quid aliud non ex-

primitur, suspensio ista accipi debet iuxta Jus com-
mune; De Jure autem communi solum plenariæ suspen-
duntur, ut constat ex *cit.* *Extravag. Quemadmodum,*
quæ tanquam inserta in corpore Juri facti Jus commu-
ne, adeoque &c.

Haud scio, an hæc opinio ab aliquo cordato viro
possit sustineri; nisi ab eo, qui Religionæ ad ostentan-
das ingenii sui vires abuti velit.

Certum autem est, quod Anno Sancto non suspen-
duntur Indulgentiæ non plenariæ concessæ ab aliis,
quàm à Summis Pontificibus, quia alii durante Anno
Sancto concedere possunt Indulgentias partiales suæ fa-
cultati competentes, & Pontifices in suis Bullis suspen-
dunt solum Indulgentias, quæ sunt concessæ à Ro-
manis Pontificibus, & id expressè declaravit Innocen-
tius XII. in Notificatione infra referenda sub num. 29.
& tenent Bellegambe in *Enchirid.* de Jubilæo part. 1. sect. 4.
q. 2. Viva *loc. cit. art. 1.* La Croix *loc. cit. num. 1401.*
Reiffenstuel *loc. cit. num. 103.* & alii passim. Nec sus-
penduntur Indulgentiæ stationum, & aliæ Indulgentiæ
concessæ basilicæ & ecclesiis Romanis. Filiucius, Le-
zana, Gobat cum Viva *loc. cit. art. 1. num. 2.* & patet
ex Notificatione Clementis X. infra adducta sub n. 28.

Anno Sancto non suspenduntur facultates absolven-
di à reservatis Papæ concessæ ad alium finem, quam
lucrandi Indulgentias, ut declaravit Clemens, & Ur-
banus VIII. ut refert Viva *loc. cit. q. 4. art. ult. num. 1.*
& tradunt cum ipso Viva, & Bellegambe *loc. cit. q. 4.*
Hinc non suspenduntur Anno Jubilæi privilegia Regu-
larium in ordine ad absolvendum ponentes à reservatis
Sedi Apostolicæ, & commutandi Vota. *Sic commu-
nis Doctorum* cum Bossio, Leandro, Henriquez, Faus-
to, Filiucio, La Croix, Viva *loc. cit. art. ultimo n. 2.*
& sic declarasse Urbanum VIII. anno 1625. refert ex
multis Busemb. §. 2. de Indulgentiis. Et ratio est, quia
ut mox fuit dictum, Anno Sancto suspenduntur solum
facultates concessæ Indulgentiarum; facultates autem,
& privilegia Regularium non sunt concessæ intuitu, &
occasione Indulgentiarum, adeoque &c. Nec suspendi-
tur facultas, quam habent Episcopi, & alii Prælati eli-
gendi sibi Confessarium; à quo absolvantur. Talis enim
facultas non est concessa intuitu Indulgentiarum. La
Croix *loc. cit. num. 1403.* Viva *loc. cit. art. ult. num. 3.*
& alii passim. Nec etiam suspenditur facultas, quam
habent Episcopi ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6.
absolventi ab occulturnis Papæ reservatis, & dispensandi
in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, &
non deductis ad forum contentiosum, excepta ea, quæ
oriuntur ex homicidio voluntario, aut absolventi impedi-
dito adire Sedem Apostolicam, talis enim facultas com-
petit Episcopis ratione proprii Officii, & de Jure com-
muni, adeoque non suspenditur tali Anno. Sicuti neque
suspenditur facultas, quam habent Prælati Regulares
ratione proprii officii in ordine ad absolvendo suos sub-
ditos, talis enim facultas non est eis concessa intuitu
Indulgentiarum, La Croix l. c. num. 1430. Viva *loc. cit.*
art. ultimo num. 4. Busemb. *loc. cit.* Zernia *verb.* Annus
Sanctus §. 4. & alii passim.

Suspensio Indulgentiarum, & facultatum in Anno
Sancto incipit à primis vespertis natiuitatis Domini N. Jesu
Christi, & desinit cum fine vespertarum ejusdem vigi-
litiæ anni sequentes, tuncque reviviscunt absque nova
concessione. Castropalaus tract. 24. punct. 12. §. 1. La
Croix *loc. cit. n. 1405.* & alii passim. Ad Jubilæum Anni
Sancti requiri solet Confessio: An autem exigatur etiam
Communio, dubitant Doctores, quia bulla non exprimi-
t, sicuti & dicunt plures alii; Filiucius. vero num. 251.
& alii putant eam præsupponi; Requiritur tamen per
omnes visitatio certarum ecclesiarum in bulla expressa-
rum, & quidem ab Incolis Romanis per triginta dies
continuos, vel dispensativos, & à peregrinis, seu ex-
teris per quindecim. Putatque Bellegambe *loc. cit. sect. 3.*
q. 3. toties obtineri posse hoc Jubilæum, quoties re-
pantur opera præscripta, & id declarasse Urbanum VIII.
tenet, & refert Bonacina *disp. 6. q. 1. punct. 5. n. 32.*
apud Busembau *loc. cit.*

Notificatio Gratiarum, & declarationum factarum à
Sanctiss. D. N. Papa Clemente X. occasione Jubilæi
Anni Sancti &c.

Gasp. Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter
Cardinal. Carpineus Sanctiss. D. N. Pape
Vicarius Generalis.

CUM Sanctitas Domini Nostri, prout Nobis vivæ
vocis oraculo mandavit, cupiat magis dilatari grâ-
tias concessas omnibus illis, qui convenerunt, ve-
niantque Romam, consecuturi plenissimum Jubilæum
hujus Anni Sancti, mandavit Nobis exponere infrâ-
scriptas concessiones, declarando etiam illa quæ in di-
bitio erant, aut vocabantur, non sine fidelium turba-
tione, & scrupulis conscientiarum; quarum paci, &
quieti consulurus Summus Pontifex hæc statuit: Ut
vitaque Confessarii, & operarii multipliciter ad ma-
jorem commoditatem, & consolationem fidelium utrius-
que sexus, in omni plenitudine paternæ charitatis
concedit amplam facultatem Penitentiaris Basilicarum
S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & Sanctæ
Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse
solito, sive ex jam aucto, & deinceps augendo; Ad
hæc eadem facultas datur Parochiis, tam Secularibus,
quam Regularibus omnium Parochiarum Romæ (du-
rante tamen Jubilæo Anni S.) absolventi, videlet
in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, fideles ab
omnibus sententiis, & censuris ecclesiasticis contra illos
pronunciatis, & fulminatis à sacris Canonibus, aut Ju-
dicibus quacumque de causa, & ab omnibus pecca-
tis, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus,
& enormibus, etiam à casibus reservatis, non solum
ab Episcopis, aut aliis à Prælati inferioribus, verum
etiam à Pontifice ipso, & à Sede Apostolica, etiam in
saliis quibuscumque constitutionibus Summorum Pon-
tificum in foro conscientie tantum: Ut tamen sua
Sanctitas declaret, se non intelligere, aut dispensare,
nec dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, &
in pristinum statum restituendi, quæ ad Irregulari-
tatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum,
incapacitatem, & inhabilitatem quomodocumque con-
tractam spectant, nequidem in foro conscientie. Ne-
que vult Sua Sanctitas, ut præsens facultas illi suff-
ragetur, qui à Summo Pontifice, aut Judicibus Apos-
tolicis, vel aliis ecclesiasticis excommunicati, suspensi,
vel interdicti sunt declarati, vel publice denunciati ob
sententias, & censuras ecclesiasticas, quas incurrerunt,
adeo ut isti omnes absolvi non possint, nisi prius
satisfecerint, aut obediverint, & satis sibi contrarias
pacifice ante reddiderint: Ita, ut iidem Penitentiaris,
& Parochi durante hoc Anno Jubilæi Sancto, com-
mutare possint omnia vota (exceptis Castriatis, &
Religionis) in alia opera pia, imponendo nihilominus
hiscæ Fidelibus, & quibusque aliis penitentiam salu-
starem, & alia opera pia, quæ iidem Confessarii præ-
scribent.

II. Concedit pariter Sua Sanctitas Confessariis Re-
ligiosis cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Ins-
tituti, qui à Nobis, vel à nostro Vicesgerente sunt ap-
probati, aut deinceps approbabitur, eandem facul-
tatem paulo ante explicatam absolventi à censuris, &
casibus reservatis, commutandi vota, modo ea non
sint substantialia Religionum, Ordinum, Institutorum,
summo & Religiosis Confessariis eadem datur facultas
respectu sui Ordinis, & illis æque, qui modo Romæ
versantur, quam illis, qui huc sunt venturi hoc Anno
Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.
III. Ut etiam facilius iidem Religiosis conse-
cuto Anni Sancti, & Jubilæi, tantique thesauri spi-
ritualium gratiarum, & ut illi suo exemplo populum
ædificent, compareantque debito cum decore, qui de-
bet personas Deo dicatas, significatur eidem, suam
Sanctitatem contentum esse, ut illi visitent quatuor
assignatas ecclesias ter tribus diebus continuis, aut
interpolatis, una simul, aut quoad majorem partem
seutes, & incidentes respectu eorum, qui in eodem

convento, aut domicilio versentur, & sic consequantur sanctissimum Jubileum, ac si visitassent easdem ecclesias triginta vicibus, aut diebus. Ut tamen observentur cetera, que in bulla Jubilei continentur, hortamur & nos eosdem Religiosos in Domino, ut incendant, servato ordine quommodestissime recitent psalmos, vel alias preces, & laudes divinas decantantes.

«IV. Idem Indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis, aut interpolatis eadem ecclesie, concedit Summus Pontifex, etiam Alumnis, & Convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis, & liberalibus artibus, & vivunt in eodem convinctu, modo & illi eant saltem quoad mediam partem, quos committabit Praefectus, aut Rector, vel alii, qui eisdem praesunt, ut eadem gratia fiat isdem Praefectis, Magistris, & famulis: monentur tamen hi omnes, ut servant modestiam, & ordinem inter eundem, orantes, vel pium quid tradantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubileum Sanctum, si voluerint se conjugere aliis sub Religiosis, habebunt eandem facultatem, & lucrabuntur Indulgentias, si eodem modo ter visitaverint ecclesias supra dicto modo. Si vero non possent expectare aliorum commoditatem, aut advenirent cum alii lucrati sunt Indulgentias, conceditur sua Sanctitas, ut illi quinque visitando ecclesias per quinque continuis, aut interpolatos dies lucrarentur easdem Indulgentias, quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem ecclesias prout Bulla praescribit. Conceditur etiam Congregationibus, Confraternitatibus, quae aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando ecclesias, & bis separatim fratres, aut sorores satisfaciunt visitationibus praescriptis in Bulla, ac si quindecim visitassent.

«V. Et cum maxime sua Sanctitas secundum viscerata paterna committatur paupertati, ac multiplicibus miseriis Advernarum, eorumque plurimorum, qui non habent unde se tandiu alant, vel neque sufferre possunt molestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen, & prudenti dicentium Penitentiariorum, & Parochorum, ut quisvis dispenset juxta cujusvis poenitentis indigentiam, & possibilitatem in assignando numero visitandarum ecclesiarum dando eisdem omnem facultatem circa id necessarium, & opportunam. Eodem modo quia cives, & incolae Romani qui inceptorunt visitare Ecclesias, nec morbo impediuntur prosequi secundum opus, non priventur fructu laborum inceptorum, & pie intentionis, qua aggressi sunt opus, nec affligantur corpore, & animo, concedit eisdem Penitentiaris, & Parochis facultatem commutandi opera Injuncta visitandarum ecclesiarum per triginta dies in alia, quae viderint esse proportionata possibilitati dictorum civium & incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat, ante quam obtineant hanc immutationem, concedit illis sua Sanctitas Jubileum, ac si omnia opera necessaria explerissent.

«VI. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas, & ut fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus una cum Oraculo suae Sanctitatis, ut supra insinuato, quod in suspensione Generali Indulgentiarum, quae continentur in Bulla data 5. Maji 1674. publicata vero 17. Septembris ejusdem anni, non intelligantur suspensae Indulgentiae altarium privilegiorum pro defunctis, neque aliae concessae eodem modo pro defunctis: verum illae suspensione habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere animabus purgatorii per modum suffragii, & nec minus Indulgentiae concessae in articulo mortis, & facultates communicandi eas aliis. Sic ut nec cessant modo facultates Sanctae Inquisitionis, & Officium ejusdem, ac Missionariorum, & Ministrorum, qui ab eodem tribunali, vel à Congregatione Propagandae Fidei, vel cum auctoritate Apostolica ad id sunt deputati, & specialiter facultates absolvendi ab haeresi illos, qui abjurato errore, redduntur capaces earum gratiarum.

«VII. Ut autem conservetur plium Institutum, & consuetudo visitandi templa, in quibus celebratur praeparatio Quadrageaginta horarum, & praecipua sanctuarium colendi hae in Urbe, concedit sua Sanctitas, non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint fideles utriusque sexus, quas alios consequantur, si visitent septem ecclesias, & scalam sanctam diebus determinatis, eo modo, & his cum conditionibus, quibus illa fuerunt concessae, easdem lucrantur Indulgentias. Quivis insuper qui visitat templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est praeparatio Quadrageaginta horarum circularium, & ordinariarum, quae sunt in publico folio à Nobis exponendo & publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, Confessione prius, & sacra Communionis peractis, aut saltem conceptio sermo proposito confitendi, lucrabitur in septem Annorum Indulgentias, & totidem quaterenas moties quoties id praestiterit. Datum Romae ex aedibus nostris die 1. Febr. 1675. Jubilei. — C. Cardinalis Vicarius.

Afferitur tenor alterius Notificationis jussu Innocentii XII. edita 6. Martii 1700. occasione Anni Sancti tunc tempore decurrentis.

NOTIFICATIO.

Gaspar miseracione divina Episcopus Sabinensis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis de Carpineo S. D. N. Papae Vicarius Generalis, Romanaeque Curiae, ejusque districtus Judex Ordinarius, &c.

Esistono nella Sacra Congregazione deputata da N. S. sopra la celebrazione del presente Anno Sancto, tenuata li 26. Febbrajo proximo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubbj incerti sopra l'intelligenza della Bolla, & riferitesi da Noi il sentimento della medesima Congregazione alla Santità di N. S. Signore nell'udienza degli 4. corenti, & alla Santità sua piacuto fare le sequenti dichiarazioni.

Che l'intera visita delle quattro Basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spazio di 24. ore, & che il giorno debba intendersi, ed incominciare, & finire da una mezza notte all'altra.

Che la facoltà concessa sotto li 24. Genajo del presente anno alii RR. Parrochi, Penitentieri, & Confessori destinati di commutare in altre Opere pie, ed abbreviare le visite delle Chiese agli invalidi, ed impotenti Cittadini, ed Abitanti di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, & per sopravvenienza d'impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua P. estende à beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potuto incominciare. Avvertendo però i suddetti Confessori, come sopra, di servirsi con prudenza, & moderazione di questa facoltà. Rimovendo nel resto preservato l'andito conceduto à Noi, & al Nostro Monsignor Vicerogente di poter delegare qualsivoglia Confessore ne' casi particolari con le stesse facoltà.

Concedo parimente la Santità Sua al Padre Confessore del Sacro Palazzo Apostolico la stessa facoltà de' Penitentieri per la Famiglia, che lo serve durante il presente anno.

Tende ancora, & dichiara, che le Indulgenze solite di concedersi da' Signori Cardinali, Legati, Nunzi Apostolici, & Vescovi, di nell'uso de' Pontificali, & nel darli le benedizioni, & in altra forma solita, rimangano nel loro vigore, non obstanti la generale sospensione dell'Indulgenze sotto li 14. Giugno 1699. — Data dal nostro palazzo questo di 6. Marzo 1700. — G. Cardinalis Vicarius. —

Jubilei concessio non tribuit Sacerdoti facultatem excipiendi Confessionem personae complicit in peccato turpi; Benedicti XIV. tom. 1. constit. 20. incip. Sacramentum Penitentiae. §. 5. (vid. verò. Regulares p. 2.)

Subnequitur hic Bulla suspensiva Indulgentiarum tempore Jubilei Romani, seu Anni Sancti & est ut sequitur eadem ad litteram edita à Clemente X. pro Anno Sancto

to 1675. ab Innocentio XII. pro Anno Sancto 1700. & à Bened. XIII. pro Anno Sancto 1725.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

Um Nos nuper Sancti Jubilei celebrationem à vigilia Nativitatis D. N. J. C. proxime futurae inchoandam, & usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo christiano, de Venerabilium Patrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium assensu, Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon S. Joannis Lateranensis, & S. Mariae Majoris de Urbe basilicas, visitaverint, plenissimum omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur, cupientes, ut christiane nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in alma Urbe nostra in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas praedictas, quo maximo feri poterit concursu, durante eodem Jubileo, visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam à casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Oena Domini legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, domibus militis, ordinibus, etiam mendicantibus, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus, & piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, & tam secularibus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, coroneisque, granis, imaginibus, numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsi etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis quocumque alia mundana, vel ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilei, aut aliis quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasione quibusvis clausulis, & decretis, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac aliis quomodolibet concessas, & concessas, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate de eorumdem fratrum consilio, & assensu, ac potestatis plenitudine, suspendimus, & suspensa esse declaramus, easque, & ea eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per praesentes auctoritates apostolicas praecipimus, & mandamus, ne interim aliae, quam indichi à nobis praedicti Jubilei Indulgentiae, sive publicae, sive privatae, quovis praetextu ubivis locorum, & gentium sub excommunicationis, eo ipso incurrenda, alicuique arbitrio Ordinariorum inflegendis poenis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, & locorum, aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indulgentiis apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque, per eosdem Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, ac Nos,

& dictam Sedem, ejusque Legatos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam in illis cavetur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis aliis in suo robore permansuris ad effectum praemissum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset praesentes, quocumque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personae in dignitate ecclesiasticae constitutae obsignatis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra, ubique locorum adhiberi, quae adhibetur praesentibus, si essent exhibitae, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecipi, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majoram, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quarto, pridie Nonas Julii, Pontificatus Nostri anno primo. — P. M. Card. Prodaturius. — F. Card. Oliverius. — Visa à Curia 7. C. Archiep. Amarenus. Registrata in Secretaria Brevium. — Loco ♣ Plumbi. — L. Martinetti.

Dictae constitutioni addi mandantur speciales notificationes, seu declarationes Clemens X. & respective Innocentius XII. ubi supra videri possunt num. 29. & 30. ubi afferuntur per extensum; & suam etiam adhuc liberalem notificationem, seu declarationem addi mandavit Benedictus XIII. ut sequitur.

DECLARATIO.

Ex viva voci Oraculo Sancti Domini BENEDICTI XIII. quoad Indulgentias in Anno Sancto suspensas, facta per Fabriceum Paslucci Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, & Sanctitatis Suae Vicarium Generalem.

AD tollendam omnem ambiguitatem, & ut fideles sint certi quoad obtinendas in Anno Sancto Indulgentias, declaramus, quod sub suspensione Indulgentiarum in Anno Sancto non continentur Indulgentiae concessae altaribus privilegiatis, vel aliae immedie pro defunctis. Intelliguntur autem suspensae illae Indulgentiae, quas aliis consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii.

Item in Anno Sancto non sunt suspensae Indulgentiae concessae in articulo mortis, nisi nec facultas haec aliis commutandi.

Præterea non sunt suspensae Indulgentiae, quae concedi solent à Cardinalibus, Legatis, Nuntiis Apostolicis, & Episcopis, sive in usu Pontificali, sive in danda benedictione, vel in alia solita forma.

Nec cessant nullo modo facultates tribunalis S. Inquisitionis atque Officialium ejusdem, sive Ministrorum, ac Missionariorum ab hoc sacro tribunali, aut à S. C. de propaganda Fide, vel aliis auctoritate apostolica deputatorum. Specialiter ad mentionatos non cessant facultates absolvendi ab haeresi illos, qui poenitentes eadem abjurat, seque dictae absolutiois capaces reddunt.

Ut etiam conservetur devota consuetudo visitandi principalia sanctuarium hujus Urbis, ac SS. Sacramentum sub praeparatione 40. horarum expositum pariter stabilitatur pius usus genuflexionis ad pulsum salutationis Angelicae Suae Sanctitatis concedit sequentes Indulgentias. Illi qui devote visitant septem ecclesias, aut scalam sanctam, vel templa, ubi sunt stationes, diebus, quibus aliae specificantur, solitas lucrantur Indulgentias absque nulla diminutione.

Item, qui comitantur sanctissimum Viaticum deponatum ad infirmos, vel si fuerint impediti, saltem mitentes illuc quodpiam lumen, obtinent eas Indulgentias, quae alias

alias propterea a Summis Pontificibus concessæ fuerunt. Insuper manent adhuc in suo vigore Indulgentiæ à sua Sanctitate concessæ fidelibus, quæ ad sonitum campanæ mane, aut meridie, seu vespere flexis genibus devote recitaverint *Angelus Domini*. Finaliter illi, qui visitant templâ, ubi habetur expositum Venerabile, & est compeccatio 40. horarum circumularium, ac ordinariarum (quæ horæ indicantur in publico folio à Nobis exposito, & adhuc per decursum hujus Anni S. exponendo) lucrantur Indulgentias 7. annorum, & totidem Quadragenarum toties quoties, id præstiterint si tamen aliquo tempore, prout ipsi in Domino videbitur, inter preces ibidem detineantur, & Confess. ac SS. Communionem præmittant, vel saltem firmum propositum confitendi concipiant. — Datum Romæ 10. Jan. 1725. — *R. Cardinalis Vicarius.* — Nicolaus Antonius Canon. Cuggio Secret. —

34 Deinde ipse Bened. XIII. in bonum defunctorum post præcedentem notificationem, seu declarationem concessit aliam specialissimam gratiam, quæ non legitur concessa ab Antecessoribus Pontificibus; ipsi enim tempore Jubilæi Anni Sancti extra Romam, suspendendur etiam pro defunctis illas Indulgentias, quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii. Quos equidem suos Antecessores etiam ad initium secutus est Benedictus XIII. in notificatione 10. Januarii 1725. &c.

35 Manente in suo vigore suspensione omnium Indulgentiarum pro Vivis, uti in bulla præmemorata continetur, sua Sanctitas dat facultatem pro hoc anno solum omnibus fidelibus lucrandi omnes Indulgentias suspensas pro vivis ad effectum dumtaxat eas directe, & immediate applicandi per modum suffragii animabus defunctorum, & non aliter: Dico omnes, id est, Indulgentias tam temporales, quam perpetuas, tam plenarias, partiales, locales, vel personales, concessas quocumque modo per Summos Pontifices, vel per Legatos Apostolicos, & non solum illas, quæ datæ sunt cum facultate eas applicandi pro defunctis, sed etiam omnes illas, in quibus tali facultas non est appositâ, ita tamen ut fiant omnia opera in earum concessione præscripta. Et hæc omnia, ut per meritâ Jesu Christi Redemptoris nostri, ejusque Sanctissimæ Matris, omnium Sancto-rum, de quibus thesaurus Indulgentiarum cumulatâ, illa animæ quantocius possint transire à flamma castigante (ut ait S. Augustinus) in flammam beatificantem, & coelestem Jerusalem per suas sanctas portas intrare: ita ut præsens annus etiam pro animabus Purgatorii dici possit Annus Sanctus, & annus jucundus Sanctissimi Jubilæi. — Datum 9. Februar. 1725. —

36 Insuper idem Ben. XIII. intra Annum Sanctum 1725. concessit quasdam extraordinarias gratias pro vivis: Ad humillimas enim preces ex specialissima gratia indulsit toti Nationi Germano-Belgiæ nostri Seraphici Ordinis, ut in singulis ejusdem ecclesiis ab omnibus fidelibus utriusque sexus pro vivis obtineri valeant Indulgentiæ Plenariæ in Fests S. Antonii Paduani &c. sicut sequitur.

Sanctissimus Dominus Noster Divina Providentia Pontifex.

BENEDICTUS XIII.

Supplicationibus P. Joannis Thoni Fratrum Minorum Recoll. Nationis Germano-Belgiæ in Romana Curia Agentis (non obstante communi Indulgentiarum suspensione) pro festis Sanctorum Antonii, & Francisci, ac Sanctæ Mariæ Angelorum Portiunculæ nuncupatæ in singulis eccles. ordinis, & nationis prædictorum, etiam Monialium, necnon oratoris Missionum prædicti Ordinis, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione reflectis, qui aliquam ex prædictis ecclesiis, seu oratoris à primis vespere usque ad octesum solis diem hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Romæ Ecclesie exaltatione pias ad Deum preces ef-

fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino consequi posse, benigne concessit. — Hac die 4. Maii 1725. — Cosmus de Hieronymi Secr. — Loco + Signilli. — Romæ Typis. Rev. Camer. Apostolicæ 1725.

Advertendum tamen est, quod istæ specialissimæ gratiæ utpote extraordinariæ non extenduntur ad alios Annos Sanctos, nisi similiter sic subsequentes Summi Pontifices concedant, aut declarent, ut recte advertit eruditissimus P. Massæus Kresslinger in *addit. ad theol. mor. P. Anaclæti, Reifstet. tom. 2. tract. 12. dist. 3. q. 19. append. 2. impressionis 1745. sub dat. Masina, ubi omnia supra tradita diligenter refert, & erudite exornat.*

Novissime in lucem prædit bulla suspensiva Indulgentiarum pro Anno Sancto 1750. edita à Benedicto XIV. quæ, ut ab omnibus pro exacta ejus observantia in promptu habeatur, hic ad literam datur.

Suspensio Indulgentiarum, & facultatum vertente Anno universalis Jubilæi 1750.

BENEDICTUS EPISCOPUS.
Serous Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem in hac Alma Urbe à vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & usque ad finem sequentis anni duraturam universo populo christiano de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione reflectis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe basilicis certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis literis plenius continetur: Cupientes ut christianæ nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in hac Urbe nostra, in fidei, ac religionis unitate congregatæ, eorum pietatis, ac devotionis spiritu basilicis prædictis quo maximo fieri poterit concursu, durante Jubilæo, visitantes, & frequentantes, tanti, & tam certi spiritualis emolumentis comotes fiant; multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, Indulgentias, & facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere; & nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus Paterna charitate consulere; tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quedam religionis, & pietatis opera in christianorum animis conservare, & fovere; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levamen, atque subsidium erogare solita neutiquam imminuere, eorumdem Prædecessorum vestigiis insistentes decrevimus, & constituimus.

Itaque præservatis, & firmis remanentibus Indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus seu Indultis illas impertiendi, seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Prælati locorum ordinariis, in vim, seu ad formam nostrarum literarum notis Apollis an. 1747. editarum, quam aliis quibuscumque communiter, aut personatim, seu pro certo personarum genere, gradu, aut numero; concessis, iisque pariter quæ sel. record. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. cunctis fidelibus salutacionem Anglicanâ, seu alias preces de tempore mane, aut meridie, seu vespere ad campânâ pulsam, de genu, vel juxta diem, & temporum rationem, stando recitanti; Item Indulgentia septem annorum, & totidem Quadragenarum, quam ipse Benedictus, & novissimo Jubilæi anno durante, in Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubiquecumque degentibus, qui sacramentaliter confessi, & Sacra Communione reflecti, vel saltem vere contriti, &

»cum firmo proposito confitendi, ecclesias, in quibus »Augustissimum Euchariisticum Sacramentum pro Oratione »quadraginta horarum, eo anno durante, expositum »esset, devote visitasset, ibique juxta Sanctæ Matris »Ecclesiæ mentem orassent, toties quoties id egissent, »benigne concessit; quamque Nos etiam, illius exem- »plo pro proximo ineunte Jubilæi anno, & tam pro »Urbe, quam pro aliis ubique locis præsentium tenore »libenter concedimus, & elargimur; Atque illis etiam, »quas felicis memoriæ Innocentius XI. & Innocentius »XII. Romani Pontifices Prædecessores nostri fidelibus »Sanctissimum Euchariisticum Sacramentum, cum ad In- »firmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut »faciem per alios ea occasione deferendum, seu defe- »rendam mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam »Indulgentias à S. R. E. Cardinalibus de Latere Lega- »tis, & Apostolicæ Sedis Nuntis, ac Episcopis in usu, »seu exercitio Pontificali, aut impertiendâ benedic- »tione, aliave forma consueta, concedi solitis. Item »salvis, & firmis remanentibus Indulgentiis altarum »privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem »modo pro solis ipsis defunctis concessis, atque etiam »aliis quibuscumque Indulgentiis, & peccatorum rem- »issionibus, aliis pro vivis concessis, ad effectum »dumtaxat, ut Christifideles illis animabus fidelium »defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac »luce migraverint per modum suffragii directè applica- »te valeant; quas omnes, & singulas, licet pro eo quod »respicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, »generaliter, ut infra suspensas, ad prædictum tamen »effectum ipsius anni decursu, etiam in earum con- »cessionibus hujusmodi facultas indulta non fuerit, ab »omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui juncta »in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositio- »nibus impleverint, acquiri posse, concedimus, & »indulgemus.

Præservatis etiam, & firmis remanentibus facultatibus tributatis Officii Inquisitionis adversus hæresicam privatem auctoritate apostolica instituti, ejusque Officialium, Missionariorum quoque, & Ministrorum, qui ab eodem tribunalibus, seu à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita, vel aliis à Sede prædicta ad id deputati fuerint, & præsertim facultate absolendi ab hæresi illis, qui abjurati eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutiois redduntur; aliisque facultatibus, quæ ab Officio Penitentiarum nostræ Apostolicæ, Missionariis, in locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercende, concessæ fuerint. Item salvis, & illasis remanentibus facultatibus tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitem, in suis respectivediæcesibus, circa dispensationes, & absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; prout ipsi à Sacra Tridentina Synodo, seu aliis, etiam in publicis à jure communi Ecclesiastico, & ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis, & casibus, indulta, permissæque dignoscuntur, quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsi in Regulares pariter sibi subiectos à Sede Apostolica prædicta tributa fuerunt.

Ceteras omnes, & singulas Indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, facultates, & indulta absolendi, etiam à Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in literis die Cœna Domini legit solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, & impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joan. Hierosolymit. domibus, militibus, ordinibus, etiam mendicantiis, congregationibus, confraternitatibus etiam laicorum, universitatibus, & piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, & tam secularibus, quam quorumvis etiam mendicantiis Ordinum regularium personis, coronis, & publicis, imaginibus, & numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam

»universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Præ- »decessores nostros, ac etiam ad instantiam Imperatoris, »Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsi etiam »Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis »quacumque alia mundana, vel ecclesiastica dignitate »fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut aliis quomocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, »sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac aliis quomolibet concessas, »concessa, quorum omnium tenores, formas, de- »rogationes, & decreta presentibus pro expressis ha- »beri volumus, auctoritate apostolica de eorundem »Fratrum consilio, & assensu, ac potestatis nostræ plenitudine suspendimus, & suspensas, ac suspensas esse declaramus, easque, & ea, eodem anno durante, nulli prodesse, nec suffragari debere; Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa per præsentem auctoritate apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim, præter superius expressas, aliâ, quam indicî à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, sive publicæ, sive privatum, quovis prætextu, ubi locorum, & gentium sub communicationis eo ipso incurranda, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis penis, publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiariis, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos sub quibuscumque tenoribus, & forma, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, & ex quibusvis causis concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiam in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis aliis in suo robore permanentibus, ad effectum præmissis, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile nimis esset, præsentem, quocumque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, obsignatis, eandem prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, nisi essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, & declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, sextodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno nono. — D. Card. Passioneus. — F. Darius. — Visa de Curia J. C. Boschi. — I. B. Eugenius. — Loco + Plumbi. — Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero vigesima quarta Maji, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. anno nono, supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum, & Basilicis Lateranensi, & Sanctæ Mariæ Majoris, & ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curie

Innocentianæ in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Right Apostolicum Cursorem. = Antonius Befani Magister Cursorum.

- 39 Indulgentiam plenariam, quatenus ipsa significat remissionem totius pœnæ debite pro peccatis, obtineri etiam Anno Sancto à profitentibus in Religione, recte tradit P. Viva de Jubileo quest. 4. artic. 5. n. 1. post Sanchez lib. 5. Summ. cap. 5. ex Navarr. & aliis. Et ratio est, quia, ut colligitur ex Sanctis Patribus, regularis professio æquivalet Baptismo, quatenus virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, dum quis sibi, ac seculo moritur, obtinet ex opere operantis omnem omnino remissionem, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. Unde suo modo plenariam Indulgentiam assequitur, quamvis non illam, quam Pontifex de thesauro Ecclesiæ concepat ad pleniorum securitatem. Quæ doctrina valet utiq̃ etiam pro Anno Sancto, ut docet inter alios P. Gobat tom. 2. de Jubileo tract. 3. cap. 50. num. 57. addens quod porro censet Rodriguez tom. 22. qq. Regul. quest. 88. art. 1. Indulgentiam plenariam promissam ingredientibus religionem obtingere non tantum iis, qui vota religionis substantia emittunt, sed etiam qui Novitiatum ingrediuntur; Quod viva loc. cit. scite dicit intelligendum etiam esse de iis, qui post biennium Novitiatum emittunt tria vota simplicia in præclarissima sua Societate Jesu, quippe isti etiam in vero statu Religioso constituuntur, & ex parte sua in perpetuum moriuntur seculo, se, suaque Deo mancipantes sub obedientia Superioris.

- 41 Quinimo Viva loc. cit. num. 2. addit, probabile videri posse alicui, ut notat Gobat loc. cit. quamvis ipsæ non subscribat, quod Indulgentia plenaria à Pontifice concessa obtineatur Anno Sancto ab emittentibus professionem regularem, quia sicuti ex cap. In generali 18. de Regulis juris in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus; Ita nec in generali prohibitione (atque adeo in suspensione Indulgentiarum) veniunt ex Indulgentiâ, quas Pontifex in specie non esset verisimiliter suspensus; Talis autem videtur esse hujusmodi Indulgentia. Tum quia non obstat fini ob quem aliæ suspenduntur, nempe ne ob id præpediatur accessus ad Urbem. Tum quia prædicta Indulgentia est omnino specialis nota digna & majori longe jure quam ulla alia conceditur; Ast vero ego non audeam absolute negare, sicut non audeat Gobat loc. cit. quin verbis Pontificis adeo specialibus, simul & generalibus comprehendatur reipsa suspensio etiam dicte Indulgentiæ pro vivis, maxime cum nunc ex concessione Benedicti XIII. & XIV. possit applicari pro defunctis, nisi aliter declarent successores Pontifices.

- 43 Post breve tempus intra ipsum Annum Sanctum solebat aliis emanare Pontificia Notificatio, qua declarabatur quales Indulgentiæ intelligerentur in Anno Sancto suspensæ, vel non, prout patet supra num. 29. & 30. de notificationibus Clementis X. & Innocentii, XII. nec non num. 31. de declaratione Benedicti XIII. Ast pro novissimo Anno Sancto 1750. Benedictus XIV. dictas Notificationes, seu declarationes inseruit eidem bullæ suspensionis indulgentiarum supra allatæ, ut ibi videri potest.

- 44 Intra eundem Annum Sanctum emanare consuevit nova quedam bulla, vi cuius Monialibus, Anachoretis, atque Eremitis, nec non infirmis, & carceratis sub ipso anno Sancto conceduntur Indulgentiæ, & gratiæ magni Jubiliæ, dummodo aliis parati essent Romanæ ad lucrandum Jubileum, si hoc impedimento non detinerentur, & dummodo pia christianæ pietatis, & charitatis opera ponant, ab Ordinariis Locorum, aut Monialium, & Eremitarum Superioribus, vel de eorum mandato à prudente Confessario, & in Alma Urbe à Pontificis Vicario, seu ejus Vicesgerente præscribenda; Et conceditur pariter in eadem bulla facultas supradictis personis eligendi Confessarium, sive seculares, sive regularem cujusvis Ordinis, ab Ordinariis locorum ad id approbatum, à quo possint, etiam à

reservatis, absolvi. Sic tradunt Gobat loc. cit. cap. 7. ubi adducit exemplar cujusdam bullæ editæ ab Innocentio X. anno 1650. eamque in omnibus erudite explanat; & Viva loc. cit. quest. 7. per varios Articulos eam egregie elucidans, Franciscus Van-Ranst in obituulo de Indulgentiis quest. 8. Massachus Kresslinger loc. cit. addit. 10. adducens similem concessionem etiam factam à Benedicto XIII. consist. incip. Pontificia sollicitudo: edita 12. Januarii 1755.

Alia ad rem Vide supra art. 1. per tot. Cum hæc tamen advertentia, quod ibi, & hic dicta, sunt intelligenda, nisi aliter Pontifices pro tempore existentes stauerint, & declaraverint, cum semper sit exacte observanda bulla regnantis Pontificis tempore Anni Sancti, si quid aliud diversum à suis Prædecessoribus disponat, aut expresse declaret, ut in novissima supra allata constitutione Benedicti XIV. pro Anno Sancto 1750. in qua præservatis dumtaxat Indulgentiis, in §. Itaque præservatis, enumeratis, & facultatibus, in §. Præservatis etiam, specificatis, suspendit ceteras omnes Indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulgenda absolventi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, & impedimentis pro quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, ac etiam per se, quibuscumque tam singulariter, quam universaliter, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, ut plenus, ac fusus in ipsa §. Ceteras omnes. Vide supra omnia in ipsa statuta, & exacte observata.

- 46 Subnecitur Bulla novissima emanata à Benedicto XIV. felic. record. concedente Monialibus, Anachoretis, atque Eremitis, nec non infirmis, carceratis, captivis, aliisque in ipsa specificatis, sub ipso Anno Sancto Indulgentias, & gratias magni Jubiliæ, ut sequitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Paterna Charitas urget Nos, ut omnium Nostrorum, Ecclesiæque filiorum pia voto non tam oblecta Nobis benignè suscipere quam animo vix concepta prævertere, eisque recluso Apostolicæ liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequenter ex omni christiani orbis regione fideles ad Nostram hanc Urbem, & ad Beatorum Apostolorum limina, pro iudicio à Nobis imminenti Anni Sancti Jubileo consequendo, partim jam advenientes inveniunt, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostræ oculis convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensî, vel etiam animum suarum necessitatibus impulsî hujusmodi iter avide aggredierentur, nisi eos aut susceptum sanctioris viæ propositum certis locorum spatibus affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei ac desiderii favere, nec non spiritualibus indulgentiis consulere, simulque pias preces, supplicationesque eorum omnium, inter quos Evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lætissima portio Dominici gregis, connumerantur, Nostris, congregatæque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam Omnipotentis Dei misericordiam adungere cupientes, presentium literarum tenore opportunas rationes præscribere decrevimus pro quas tam viri, quam mulieres, in eremis, monasteriis, & religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis, & carceribus detenti, aut morbis, & infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, nec sacras Apostolorum memorias, & patriarchales ejusdem Urbis basilicas respective visitantes; præmissarum absolutio-nem concessit à Nobis plenari Jubiliæ participes esse valeant.

Ut autem nemine dubium oriri possit, quænam personæ sub harum literarum providentia comprehendantur, in primis Moniales omnes, quæcumque solemnita Religiosis vota emiserunt, & in monasteriis, sub perpetuâ clausuræ legibus, sive locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicæ Sedi immediate subjactæ vivunt, earum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres seculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis, in eisdem monasteriis habitantes; Item monasteriorum hujusmodi Moniales quæ aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hæc Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitiis, educandis, aliisque cum ipsis conventivitis, licet rigorosæ clausuræ legibus adstrictæ non sint; Tertiarias quoque sub uno, eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitiis, educandis, aliisque secularibus personis, in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum aut confirmatum extiterit, neque pro approbato, præsentis concessionis vigore, impostum haberi debeat. Ac denique puellas, atque mulieres in conservatoriis degentes, quamvis nec Monialium, nec Tertiariarum numero habeantur, nec clausuræ legibus subjactæ sint tam in urbe, quam extra eam ubique locorum, & gentium existentibus, præsentis concessionis favoribus uti, & gaudere posse volumus, & declaramus.

Item Anachoretas, & Eremitas, non quidem eos, qui nullis clausuræ legibus adstricti, sive collegialiter, & in societate, sive etiam solitarii, sub Ordinariorum etiam regimine, certisque legibus, aut regulis obtemperantes, vivunt; sed eos, qui in cœnobia, licet non omnimode perpetua, clausura, & solitudine, contemplativæ vitæ exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi monastici, aut regularis ordinis, & instituti professores existant, uti Cistercienses aliquot, & Carthusienses Monachi, & Eremitæ Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquomodo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus causis in carceribus tam Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum, & Tribunalium, quam secularium Principum, & magistratuum, & ad Regulares, qui in carceribus clausalibus detinentur, vel quia nondum eorum causæ expeditæ sint, vel quia tempus pœnæ eisdem imposîtæ non adhuc sit elapsum, quive ex Superiorum quorumcumque præcepto, alioquem locum, aut civitatem, & carceris, & custodia, seu exilii, & deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in trimeribus, seu alibi, ad opus damnati, eique additî reperiuntur, ejusdem præsentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro his tamen, qui carceribus Tribunalis Sanctæ Inquisitionis inclusi ubicumque detinentur, ea quæ paternæ providentiæ Nostræ opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis Officii præscribere non omitteremus.

Denique ad Infirmos pariter utriusque sexus tam laicos, quam ecclesiasticos, sive seculares, sive conjugulibet Ordinis, Congregationis, & Instituti Regularis, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, à qua juxta Medici judicium, non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum Jubiliæ annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui licet ex hujusmodi infirmitate convalescerent, non tamen sine gravi incommodo, & recidivæ periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine urantur, adeo ut iter hujusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores, quæcumque inferius præsentibus literis respective statuantur, spectare, & pertinere volumus pariter, & declaramus.

ERRATA. BIBLIOTHEC. TOM. IV.

Hos itaque omnes, & singulos monemus, hortamur, & obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animæ recolentes, totoque cordis affectu deestantes salutari Penitentia sacramento, & congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum divinæ mensæ convivium innocentia, & charitatis stola ornati, reverenter accedant; Deumque Optimum Maximum, per unigenitum Filium ejus, ac per merita Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, juxta nostram, Ecclesiæque mentem, enixis precibus orent, pro ejusdem Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, catholicorum principum concordia, & totius christiani populi tranquillitate, & salute; in eumque finem alia, tum voluntaria, tum sibi in locum visitationis quatuor basilicarum Urbis ab ecclesiasticis Superioribus, ut infra, injungenda, Religionis, pietatis, aut charitatis opera, devote peragant, & exequantur.

Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, per præsentem committimus, & mandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis puellis ac mulieribus, tam sibi, quam Nobis, & Sedi Apostolicæ immediate subjactis, in eorum civitatibus, diocesium, & territorii existentibus, Anachoretis quoque, & eremitis, carceratis, & morbo, seniove affectis, eorum jurisdictioni respective subjactis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus seculares personæ, aut extra clausura forsam cum debitis licentiis Regulares existant; regularibus autem Prælati, & Superioribus, ut subditis sibi Monialibus, & si quæ sint Oblatæ, aut Tertiariæ ipsorum regimini subjactæ, & ab Ordinariorum jurisdictione exemptæ earumque Novitiis, aliisque in earumdem monasteriis, & communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, nec non Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in carceribus clausalibus detentis, sive infirmis, & senibus septuagenario majoribus, congrua religionis, pietatis, aut charitatis opera, æquabili disciplinæ, & indulgentiæ moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, designare, & præscribere non omittant, quæ illi, & illæ loco visitationum quatuor basilicarum, & ecclesiarum intra, & extra Urbis muros, à nobis pro consequendo hujus Anni Sancti Jubileo præscriptarum, juxta singulorum statum, conditionem, & valetudinem, ac loci, & temporis rationes respective exequi & implere possint, ac debeant; & quorum implementum Nos in earumdem visitationum locum, ad effectum ipsius Jubiliæ consequendi, auctoritate Apostolica commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis, & Tertiariis quibuscumque hujus Alme Urbis, earumque Novitiis, nec non puellis, aut Mulieribus tam in prædictarum monasteriis, & communitatibus, quam in conservatoriis ipsius Urbis degentibus, & pro carceratis in ejusdem Urbis carceribus, volumus, ut ad dilectum Filium Nostrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, nostrum in ipsa Urbe, ejusque districtu Vicarium in Spiritualibus Generalem; ejusve Vicesgerentem dumtaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, facere omnino spectet, atque pertineat.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & prædictorum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & concessa Nobis, licet immerentibus, supra ligandi, atque solvendi potestate, omnibus, & singulis præfatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, sive mulieribus, in monasteriis, ac religiosis, sive communitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, nec non utriusque sexus Captivis, & in carcere, sive in custodia detentis, atque infirmis, & senibus, vere penitentibus, & intra præsentis Jubiliæ Annum rite confessis, ac Sacra Communionem refectis, Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus aliisque sibi in locum visitationis prædictæ injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus; atque etiam si, eo-

Nin 2 rum